



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XXXIX. De Syndico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

& Joan. Lupus, teste Covarr. d. s. 6. nu. 4. & communem opinionem adserit ex Nicolao Bellono. Ipse tamen Covarr. improbat, dummodò ultra progressum non sit. Sola enim conjectura est adulterii, quæ non sufficit ad condemnationem, nisi etiam alia argumenta concurrant, de quibus in c. Litteris 12. cum c. seq. infra De præsumpt. Confirmat hanc sententiam textus in §. quia verò plurimas Nov. 117. Velicet matri & avia &c. ubi inter causas divortii hic casus non recensetur. Absurdum quoque est, pœnalia ad non expressos casus extendi, c. Odis De R. l. in 6. & l. Interpretatione pen. D. De pœnis, & eleganter. Menoch. De arbitr. jud. quest. casu 287. Non obstat textus in c. Maritus 4. inf. De adult. quo permittitur marito etiam ex sola suspitione uxorem adulterii accusare. Idem dicitur in l. Quamvis 30. C. Ad L. lul. de adult. quia uterque textus loquitur de accusatione, quæ ex suspitione adulterii permittitur, non autem de condemnatione adulterii, in qua cetera probatio exigitur. Idem apertè constat ex l. Quis sententiam 16. C. De pœnis, ubi in adulterio, homicidio, cæterisque criminibus aemè condemnari jubetur, nisi aut propriâ confessione aut probationibus clarissimis convictus sit. Et quod attinet ad d. c. 1. à Baldo allegatum, quo vasallus fendo privatur, si vel turpiter luserit eum uxore domini sui, illud tantummodò ipsum vasallum concernit, non verò uxorem domini; ut ea propterea adulterii condemnari possit aut debeat.

His ita constitutis, rationem textus nostri in-

quiramus, cur in criminali iudicio maritus uxorem suam adulterii per procuratorem accusare non possit. Idem & ex parte uxoris accusatæ, ut nec ipsa per procuratorem possit se defendere. Quia id commune est omnibus criminibus publicis, ut personaliter expedire opus sit, non per procuratorem, ut est text. in l. pen. §. 1. D. De publ. iud. & in c. Veniens 15. inf. De accusat. & in can. Absens III. quest. 9. Ego, relictis rationibus Glossæ & Bartoli, tum aliorum, in d. l. pen. verissimam hanc esse arbitror, quod in criminalibus liquidissimæ accusationes requirantur, ut antè dictum est, & probat text. in l. fin. C. De probat. magnumque momentum adferant ad illustrandam rei veritatem, ipsius accusati vultus, adspèctus, qualitas, sermo, constantia, text. in l. De minore 10. §. plurimum D. De quest. in l. 1. & 2. D. De testib. Atque idcirco juris conditores voluerunt, ut accusatus per se, non per procuratorem, se defenderet. Quæ ratio militat etiam ex parte accusatoris, ad facilius detegendam ejus calumniam, sicut colligitur ex l. 1. D. Ad S. C. Turpill. Cùm enim in accusatorem calumniolum pœna talionis, id est, similitudo supplicii à communi jure constituta sit, l. ult. C. De accusat. can. Quisquis II. quest. 8. & text. hic in V. talionis, certè ratio postulat, ut & hæc calumnia iisdem argumentis cognoscatur, d. l. 1. in princ. Postremò quæ hic de inscriptione & pœna talionis dicuntur, latius explicantur inf. ad tit. de accusat. Nobis ad alia, quæ utiliora sunt, & magis in iudicii frequentata, properandum est.

IN TIT. XXXIX. DE SYNDICO.

SUMMARI A.

1. Procurator, Actor, Syndicus.
2. Syndicus qualis constitui debeat.

Procurator, Actor, Syndicus licet aliquando confundantur, ut patet ex c. Petio vestra 9. sup. De procurat. tamen ex usu fori ita distinguuntur, quòd procurator a domino & privato datur; actor a bonorum administratore, veluti Episcopo; Syndicus verò à communitate licita: ut si Collegium Canonicorum, vel Cœnobium, vel publicorum vestigalium socii aliquem constituent, qui quod communiter agendum erat,

non singulorum, sed totius corporis nomine agat, is actor vel Syndicus dicitur, l. 1. D. Quod cuiusque universi nomine &c.

Constitui Syndicus potest vel qui sit de collegio vel extraneus aliquis. Suadent tamen Canones Religiosis, ut causas suas per Syndicum extraneum agant. Expedi enim, ut ait textus pro parvo incommodo a strepitu causarum servi Dei esse quieros, c. unico hoc tit. id est, potius debent modicum incommodum sive dampnum sustinere in eo, quod dant Syndico, & cessare à litibus, perque alios litigia exercere. Gl. ibid. V. A.

IN TIT. XL. DE HIS, QUÆ VI METUSVE CAUSA FIUNT.

SUMMARI A.

1. Actio & exceptio quod metus causa, quando locum habent.

2. Actio quod metus causa est in rem scripta; & cur necessaria.

3. Metus